

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2165

Auteur(s) : Falaise (vicomte)

Bénéficiaire(s) : Guillaume Bertran, Fontenay-le-Marmion (seigneur)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1284, 31 mai

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

« Cest la lettre de Jehan d'Endemain, escuier(analyse du milieu du XIV^e s.) ». Devant le vicomte de Falaise, Jean d'Endemain, écuyer, de Saint-Martin-du-Bû, et Philippe, sa femme, ont reconu avoir vendu cent sous de rente annuelle sur la prévôté de Bretteville-sur-Laize à Guillaume Bertran.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Saige Gustave, *Cartulaire de la seigneurie de Fontenay le Marmion*, Monaco, Imprimerie de Monaco, 1895, n° XXXI, p. 28-29.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis et eciam audituris, vicecomes Falesie, salutem. Noverint quod Johannes d'Endemain, armiger, de parrochia Sancti Martini de Busto et Philippa ejus uxor, in jure coram nobis personaliter constituti, de assensu et voluntate dicte Philippe, recognoverunt pariter se vendidisse et concessisse et omnino dimisisse ad finem et hereditate perpetua (sic), domino Guillelmo Bertran, militi, domino de Fonteneto le Marmion, videlicet centum solidos turonensium anni redditus quos habebant et jure hereditario percipiebant annuatim ad festum Sancti Dyonisii, in prepositura de Britavilla super Lesiam et undecim sextaria et plenum quartarium ordei anni redditus quos habebant et jure hereditario percipiebant annuatim ad mensuram de Fonteneto le Marmion, mense septembri in molendino de Moe. Et propter hanc venditionem et concessionem predictus miles dedit eis pre manibus quatuor viginti libras turonensium, de quibus tenuerunt plenarie coram nobis pro pagatis ; tenenda et habenda et jure hereditario possidenda hec omnia supradicta et singula predicto militi et suis heredibus libere, quiete et pacifice et ab omnibus penitus absolute, cum omni jure, justicia, dominio et libertate que habebant et habere poterant et debebant ratione hereditatis, absque ulla reclamatione dictorum Johannis et Philippe ejus uxoris, pro se et heredibus suis, coram nobis, predicto militi et suis heredibus ; hec omnia supradicta contra omnes gentes se garantizaturos, diffensuros, deliberaturos et excambiaturos in alia hereditate sua, si necesse fuerit, et ad valorem. Et super hoc notum facimus universis quod prefata Philippa, in jure coram nobis constituta, juravit cum auctoritate predicti Johannis mariti sui, prius tactis sacrosanctis evangeliis, voluntate sponteana et sine coactione aliqua, quod contra hujus modi venditionem et concessionem, per se vel per alium seu per alios non veniet in futurum. Renuncians insuper prefata Philippa coram nobis, sponte sua, omni juri, omnibusque petitionibus doti, maritagii incombanti et dono propter nupcias, omnibusque aliis petitionibus et consuetudinibus quibus solebant uti vidue mulieres in Normannia post suorum decessum maritorum. Unde nos ipsam Philippam presentem et consentientem ad omnia premissa observanda fideliter et imperpetuum auctoritate regia condempnamus. In cuius rei testimonium sigillum vicecomitatus Falesie una cum sigillis predicti Johannis et Philippe ejus uxoris et ad petionem suam

presentibus litteris dignum diximus apponendum, salvo jure regio in omnibus ac eciam alieno. — Actum anno
Domini M° CC° octuagesimo quarto mense Junii, die mercurii in feriatis Penthecostes.